

Oratiuncula de occasione oportune oblata, bonarum literarum præcipuè studio...

Agricola, Christianus
Christiani,

F1700 Br.1038




National Library
of Sweden

AGRICOLA

F 1770
821.1028

Pa. Paunt.
Färe 1700
Lat. Tot. 160
(1700)







*In. Lamb.
F. 1700
L. 111. 110
2 (164)*

D: O. M. A.

ORATIUNCULA
De
OCCASIONE OPORTUNE
OBLATA.

Bonarum Literarum Præcipuè Studiosis
non negligendâ,

Quam.

*Divino favente munere in Regiâ & celeberrimâ
Finnonum quæ Aboæ est Academiâ die 20. Novem-
bris Anni 1644. publicè proclamabat*

CHRISTIANUS. C. AGRICOLA.



A B O Æ,

Excudebat Petrus Wald Acad. Typogr. 1645.



Faint, illegible text at the top of the page, possibly bleed-through from the reverse side.

L. O. M. A.

ORATIONES

OCCASIONE OPOR

TINE ORATA.

Faint text below the title, possibly a subtitle or author information.

Faint text, possibly a dedication or preface.

CHRISTIANUS G. ADRIANO



A. B. A.

Faint text at the bottom of the page, possibly a date or location.





Studiosæ Juventuti Salutem.

Cum alia omnia nostra incerta & minus propria sint, à natura in temporis certissimam quandam possessionem missi sumus. In tempore autem nil magis fit, quam cum studiosa juvenus hoc unum agit, quod agendum sc. est, ut bonæ menti rectisq; studijs litet, nec tempus quod nemo sibi imputari vult, nec quisquam reddere potest, (ut seneca loquitur) eripi sibi sinat, cogitetq; in hac quasi castrensi militiâ, cum gravi hoste esse confliendum, expectatione nempe parentum & amicorum, à qua ut vinci turpissimum & inglorium, ità uno & solo hoc modo eum vincere possumus, si boni & veri occasio- num & temporis æstimatores & ratiocinatores simus. Ad hanc rem puram & tersam orationem conscripsit Præst. & Lit. Adol. Dn. Christianus Christiani Agricola, quam hodie finitis præcibus pronuntiaturus est. Qui proinde suâ sponte ad studia incitati sunt, hodie adsint, ut Encomium diligentiae audiant, qui vero langvent, ut hinc è veterno excitentur, & alacritatem, animumq; ad studia capiant. Dabat 20. die Nov. Anni 1644.

IOHANNES ELAI TERSERUS Min.
Eloq. P. P.
-1644



ORATIO.

Longam esse Artem A. Sc. Longam inquam esse Ar-
tem, tum ex pulchro & eleganti illo medicorum,
facile principis Hippocratis in principio Aphorismorum
dichterio, ubi Ars, inquit, longa, vita brevis, occasio præ-
ceps, tum alijs tam usû receptis, quam vetustate corro-
boratis sententijs. & Aphorismis, ut vix eam quis ple-
nario modo assequi, ne dum quidem laborum suorum
industriâ, sagacitate & assiduitate, in hac languida
mundi senectâ sibi habitualement reddere, & ad ultimum
actionum suarum umbilicum perducere pervaleat, imo
nequeat, omnibus in confesso est. Vita vero e contra
brevissima est, est & ipsa brevis incerta, ut cum esse
desierit, non fuisse putetur, quare Poetæ vitam affabrè
describunt:

Stat sua cuiq; dies, breve & irreparabile tempus

Omibus est vitæ

Vitæ summa brevis, spem nos vetat inchoare longâ:

Jam te premet nox, fabulæq; manes.

Et domus Exilis plutonia.

Occasus autem A. E. res celerrimæ permutabilis, &
ita præceps est, ut semper quasi rota circumactâ in-
sistens in volubili motu sit. Hinc scitè admodum ait, P. Syrus
Mimographus.

Occa-

Occasio agrè offertur, facile amittitur,
Occasio receptus difficileis habet,
Deliberando. sapè perit Occasio.

Occasionis igitur opportuna nisi accurata habeatur ratio, dici non potest quantas incommoditates & tristissimos penitentia morbos sit genitura. Sed priusquam in ipsum fretum Oratiuncula me commiserò, Auditores omnium ordinum exoptatissimos humilime, obnixè atq; officiosè rogatos habeo ut mihi de Occasione Liber. Stud. non negligendè breviter verba facienti patulas & attentas aures arrigere velint.

Salomon Regum omnium, quos fando audivimus, sapientissimus docet suum cuiq; rei tempus esse destinatum: Est tempus, inquit, nascendi, & tempus plantandi, tempus plantatum evellendi, tempus occidendi, tempus curandi, Est tempus destruendi, est tempus aedificandi: Est tempus stendi, est tempus ridendi: Est tempus plangendi, est tempus saltandi: Est tempus dispergendi lapides, est tempus colligendi lapides: Est tempus amplexandi, est tempus ab amplectendo recedendi: Est tempus quarendi, est tempus perdendi: Est tempus custodiendi, est tempus abijciendi: Est tempus seindendi, est tempus consuendi: Est tempus tacendi, est tempus loquendi: Est tempus amandi, est tempus odio habendi: Est tempus belli, est tempus pacis. Dicitq;: Qui congregat in astate fili⁹ intelligens est, qui vero dor-

mit in messe, filius est confundens. Eleganter etiam
Sapientissimus ille Regum homines ad labores ignaviae
deditos excitat, sumendo similitudinem de formicâ, di-
cens: Vade ad formicam piger, vide vias ejus & sapiens
esto, cui quum non sit dux, nec praefectus nec domi-
nus, tamen parat in aestate cibum suum & congregat in
messe escam suam, &c. Et Poëta temporis oportuni-
tatem seu occasionem Deam finxerunt, rota volubili,
motu citissimo circumacta, insistentem, pedibus alata
antere capitis parte capillis hirsutam, ut apprehendi
facile possit, occipitio calvam, manu dextrâ in tergum
reflexa tenentem novaculam. Eam ponè insequitur
puer lamentabundo similis, cui nomen METANOIA, id est
poenitentia. Quâ imagine acutissimi hominos vim &
naturam occasionis exprimere voluerunt. Etenim,
rota versatilis, cui insistit OCCASIO mutabilitatem
ejus & inconstantiam innuit: pedum talaria motus ve-
locitatem, quod tam cito praetervolet. Capilli anteriore
capitis parte prominentes, quibus ad apprehendendum
se quasi porrigit, monent oblatam occasionem sine mora
arripiendam esse, quod semel elapsa nunquam redeat,
nec apprehendi possit, id quod calvities designat. Unde
Poëta:

Rem tibi quam novis aptam, dimittere noli,
Fronte capillatâ post est occasio calva.

Nova-

Novacula quam manu tenet, arguit eam retineri non posse, hanc enim remoras omnes atq; impedimenta resecat atq; præcidit. Individua ejus comes Pœnitentia docet, qui eam prætermiserit, huic præter dolorem & luctum nihil relinqui; Et sic hujus imago à Poëta Dialogicè describitur:

Cujus opus? Phidiæ, qui signum Pallados ejus?

Quiq; Jovem fecit, tertia palma ego sum,

Sum Dea quæ rara & paucis Occasio nota.

Quid rotulæ insistsis? stare loco nequeo.

Quid talaria habes? volucris sum, Mercuriusq;

Fortunare solet, trado ego cum volui,

Crine tegis faciem? cognosci nolo. Sed heus tu?

Occipiti calvo es: ne tenear fugiens?

Quæ tibi juncta comes? dicat tibi, dic, rogo, quæ sis?

Sum Dea, cui nomen nec Cicero ipse dedit.

Sum Dea, quæ facti, non factiq; exigo pœnas?

Nempe ut pœniteat, sic Metanæa vocor.

Tu modo dic, quid agat tecum? si quando volavi,

Hæc manet; hanc retinent, quos ego præterii.

Tu quoq; dum rogitas, dum percunctando moraris?

Elapsam dicces me tibi de manibus?

Hanc imaginem nos nobis literarum studiosi, semper ante oculos ponamus, eamq; sedulò meditemur, ut & nos in officio nostro oblatâ occasione utamur. Quid enim est Commilitones optimi ornatissimiq;, quod ad eruditionem comparandam faciat, quod nobis Natura vel potius auctor nature Deus ter opt. max. non concessit?

Ea.

Ea nobis nunc est ætas, quæ reb⁹ gerendis idonea multum
momenti ad discendas literas affert, eâ nos uti decet, &
juvenilibus nostris annis artes literasq^{ue} addiscere, quæ
senectuti oblectamentum atq^{ue} solatium præbeant.

Utendum ætate est cito pede labitur ætas

Nec bona tam sequitur quam bona prima fuit,

Ut enim Agricola serendi tempus diligenter obser-
vant, quo nullis suis parcunt laboribus, ut aliquando opta-
tos percipiant fructus: Sic nos literarum cultores decet,
hunc ætatis nostræ florem, attendere & observare, nec
illos defugere labores, ut suo tempore fructus uberrimos
nanciscamur. Est enim hæc ætas nostra ab aliarum
rerum curis vacua, quò facilius nobis nunc fuerit in
unum literarum studium incumbere. Olim nos ætate
provetos sexcentæ excipient cura, quando vel Reip. vel
familia gubernatis ita distinebit atq^{ue} distringet ut literis
vacare haud liceat, nisi nunc earum fundamenta jecerim^{us},
& cum Poëta dicturi erimus:

O mihi præeritos referat si Jupiter annos.

Imò miserè nobis esuriendum fuerit, nisi hac ætate,
ea nobis comparaverimus præsidia, quibus ætas ingra-
vescens forveri solet ac sustentari, memores præcepti
illius Hesiodi:

Non ætas semper fuerit componite nidos,

Et ejus, quod Ovid. canit:

Dum vires anniq^{ue} sinunt tolerate labores,

Jam veniet tacito curva senecta pede.

Ple.

alij impulsu

Pleriq; nostrum ingenium obtigit, si non eximium atq;
excellens attamen mediocre, quod diligentia & labore ex-
cultur atq; excultum doctrinas percipere potest. Quod
quidem nobis exercendum fuerit, & vires ejus intenden-
da, ne ignavia hebescat. Ut p. ferrum nisi exerceatur,
rubigine obducitur ac perit: Sic ingenium nisi assidue
exculetur, paulatim vires ejus diminui ac interire ne-
cesse est. Sic præclare Poëta:

Adde quod ingenium longa rubigine læsum.

Torpet, & est multo quam fuit ante minus.

Cogitemus nos à Deo ipso in hac statione collocatos, ut
eas discamus artes, quarum præsidio & adjumento Ec-
clesia & Respub. carere non possunt, imò certe nequeunt.

Hanc nostram vocationem Divinam agnoscamus,
& pro singulari Dei beneficio reputemus. Quot enim

hodie in orbe sunt gentes ac nationes barbaræ, quæ hinc ar-
tium & doctrinarum luce destituuntur, quæ non solum
barbarie obrutescunt; sed etiam (quod multo tristius)
omnis veræ religionis atq; celestis Doctrinæ expertes,
æterna ira Dei oprimentur? Quanto nos feliciores quo-
niam non solum artium humaniorum, sed etiam veræ re-
ligionis atq; celestis doctrinæ lux nobis affulsit! Nota

nobis est illa Christi concio, quæ urbibus illis Corazim
Bethsaida & Capernaum ingratitude suam expo-
brat, ac poenas denunciat quod cum summam habuissent
verbi Divini Occasionem seu oportunitatem, eam negle-

xerint, ac meliorem in extremo iudicio sodomitarum
conditionem, quam illarum fore ostendit. Idem iudicium
iis omnibus metuendum est qui dona Dei vili pendunt
& negligunt.

Haec est temporum in quæ incidimus felicitas, quan-
tum quidem ad literas attinet, ut hoc seculo nostro omnis
generis disciplinae floreat, à viris doctis, quorum magna
passim copia, ita exculta & expolita, ut ad summam ea-
rum perfectionem, nimis parum vel penitus nihil addi
posse videatur. Libri extant per plurimam & varij, in
omni doctrinarum genere conscripti, qui quo facilius pro-
pagari & quam latissime spargi possint, ars typographica
inventa est, cuius beneficio fit, ut quæ vel nunquam vel cer-
te rarissime potuissent exteris communicari gentibus, ea
brevisimo temporis spatio, per uniuersum orbem voli-
tent ac disseminentur.

Redeamus quæso Aud. in memoriam superiorum
seculorum, quibus artes & literæ, densissima barbarie
oppressa jacuerunt, Religio foedissimo superstitionis ca-
no obrata ac sepulta; & felicitatem nostram agnosca-
mus; illis non deerat ingenium, non studium, non ardor
discendi, non laboris tolerantia: vera docendi ratio de-
erat, & fidi doctiq; praeceptores, velut via duces deside-
rabantur. Quo factum est, ut excitatis diuino munere
ingeniis, quibusdam Heroicis, quæ artes & linguas
à fœda barbarie vindicarent, omnes certatim in earum
Studi-

studium incumbere easq; avidissime arriperent. O felices qui oblata in literis proficiendi occasione utuntur.

Opifices qui homines sunt illiterati atq; plebei, eorum nobis industria consideranda est, qui sordidi lucelli causa non exiguos suscipiunt labores, in omnes lucrandi occasiones intenti: Et ut Poeta canit:

Impiger extremos currit mercator ad Indos,
Per mare pauperiem fugiens, per saxa per ignes.

Quam turpe igitur fuerit nobis literarum studiosi, ab his industrii superari in comparanda re omnia preciosissima sapientia! Commendantur Demosthenis vigiliae, qui dolere se agebat, si aliquando opificum antelucana victus esset industria, in memoriam trita hacce revocans:

Non jacet in molli praestans sapientia lecto,
Ipsa sed assiduo parta labore venit.

Dulcia non meruit qui non gustavit amara.

Et ultimas terras lustrasse, Pythagoram, platonem
& Democritum accepimus, ut aliquid addicerent, cur igitur nos in ipso Patria nostra sinu, ijs artibus non demus operam, quarum cognitio ultro offertur? Quod si oblata occasione nunc omiserimus, de incommodis hinc promanantibus, neglectamq; occasionem sequentibus profecto nobis cogitandum est: Primo vasta barbaries, quanta nulla unquam fuit seculis superioribus; Deinde

religionis *ſyncera* interitus. *Eſt* enim hic *quasi* genius
Religionis, ut *florētibus* literis ipsa quoq; *florēt* illis la-
bantibus *hęc* quoq; *concidat* & *extingatur*. Cujus rei
illustrat̄ extat *documentum* in *superiorum* temporum *Hi-*
ſtoria, quando *extinctis* literis *omnis* generis *superstitio-*
nes in *Ecclesia* *invaluerunt* & *Pontificia* tyrannis *ſeſe*
extulit.

Caveamus igitur ne *fatum* illud nobis *impen-*
deat, quod *maiores* nostri olim *experti* sunt, *obla-*
tæq; *oecāſioni* *ſtudendi*, *literisq;* *incumbēdi* *curam*
geramus, cum *ætas* nobis *ſit* *discendis* *literis* *ido-*
neā, cum *ingenium* *obtigerit* *haud* *pœnitendum*,
cum in *ſeculum* *incideramus* *feliciffimum*, & *lite-*
ratiſſimum quo & *librorum* & *Præceptorum* *copia*
eſt, cum *ſumptus* *partim* à *S. R. M.* *partim* à *pijs*
parentibus, nobis *neceſſarijs*, ad *alenda* *ſtudia*, *ſup-*
petant; *Oblatam* *inquam*, *commilitones* *Ornatiſſi-*
mi *virtutibusq;* *Politiſſimi*, *Occāſionem* *amplectā-*
mur *ejusq;* *ſummam* *habeamus* *rationem*, *ſtudia*
literasq; *avidiffimè* & *pro* *virili* *arripiāmus*, quæ
adoleſcentiam *alunt*, *ſenectatem* *oblectant*, *ſecun-*
das *res* *ornant*, *adverſis* *perſugium* *ac* *ſolatium* *præ-*
bent, *delectant* *domi*, *non* *impediunt* *foris*, *perno-*
ctant *nobiſcum*, *peregrinantur*, *ruſticantur*; ut
S.æ *R.æ* *M. tis* & *parentum* *bonæ* *de* *nebis* *conce-*
ptæ

ptæ spei, nos sc. aliquando studiorum nostrorum.
cursu confecto, Ecclesiæ aut Reipub. fore usui, no-
bisq; ipsis honori ac emolumento; satisfacere pos-
simus. Quam illorum spem fallere & sumptus per-
dere quantum scelus fuerit!

*Audiuistis Aud. me nonnullis argumentis Obla-
tam nobis occasionem literis incumbendi, non negligen-
dam, poenasq; neglectam Occasionem sequuturas, quam
breuissime ostendisse; De eo quod superest Deus Ter Opt.
Max. rogandus est, ut sua diuina gratia nos iuvare velit,
nosq; illuminare, ut studijs sedulo oblata nobis occasione
in vigelemus, quæ vergant in nominis Divini gloriam,
Patriæ emolumentum, nobisq; ipsis in commodum,
hoc faxit, Deus Ter Opt. Max: sine inter-
missione in secula seculorum lau-
dandus, Amen.*

D I X I.





Egrediã indole Ornatissimo Adolescenti

DI. CHRISTIANO C.
AGRICOLÆ FINL.

De Occasione non negligendã peroranti,

Res est bella Agri Cultura: beatq̃ juratq̃
Horrea; Sed multis casibus impetitur.
Est animi cultus res longè pulchrior, hacce
Sorti responsat, nullaq̃ fata timet.
Ut facis, Agricola, hic sudes, hic tempora ponas,
Mentis tu cultor sic melioris eris.

Officij declarandi ergo
apposuit

JOHANNES ELAI TERSERUS *Min.*
Eloq: P. P.



CHRISTIANUS AGRICOLA.

Per Anagramma.

SIC SATURA; HINC GLORIA.

URit mature, quod vult urtica manere,
Fertur clarorum sermo per ora virum.
Præcox ingenij sic vis se spargit in auras,
Posteã spes frugis si qua futura bonæ.

Quod

Quod Patriota facis laevi licet ore refulges
Imbuis ast *Sua* la rite lepore fibras;
Eloquio svades oblato tempore fungi,
Nulli per ventos assa columba datur.
SIC clario *SATURA* mentem, *Christiane*, liquore,
Sic Provenit *HINC* certo *GLORIA* vera tibi.

*Populati affectu motus, pernici
pennâ posuit*

SIMON C. ANGLIENIUS
Acad. Depositor.

CHRISTIANUS AGRICOLA.
Per Anag: ablato S.
HINC ACRIS TUA GLORIA.

*Commoda qui observat prudenter temporis apti,
Quot bona conglomeret sedulus ille sibi,
Quam varios generet neglecta Occasio morbos
Mentibus, ac nobis quam mala multa feret;
Hac Christiane tuo compto sermone disertè
Demonstras, Tempus quid fiet atq; refers.
Temporis at felix fruitur qui sortibus aptè,
Nec sua per cras cras commoda ferre capit.
Tu Christiane, rogo, doctis incumbere chartis
Perge, malè S nunquam tempus abire sinas,*
HINC

HINC ACRIS posthac decorat TUA GLORIA *ni.*
Atq; anget laudes Musa venusta tuas. *(Sus*

Gaudébuntq; olim dulces chariq; parentes,
Gnato qui cupiunt prospera quae suo.

Non tam moris quam honoris &
amore ergo cecinit

BARTHOLLUS JOH. LACMANNUS
Wiburgo-Carelius





